

Q.H.351,7. de ecclesiastica inter animam et corpus de
chione 2 omittit bov
Q. D. B. V.

II f
593

AMPLISSIMOS SCHOLAE NOSTRAE
PATRONOS PATRES AC FAVTORES
VT ORATIONEM IN MEMORIAM

B. IO. CHRISTOPHORI RICHTERI

CRAS PROPRIIDIE KAL. IVLIAS A. R. S. clo 10 cclix

A

CHRISTIANO GODOFREDO MAESCHELIO

FREIB

IVVENE OPTIMAE SPEI ET EXPECTATIONIS

DE COMETIS HABENDAM

BENEVOLE AVDIRE VELINT

IMPENSE ROGAT

M. IO. ANDREAS LVTHERVS

CONR

—
FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEEANIS.



Quod summe Reuerendus ac Magnificus Dresdenium Praesul,
IO. IOACH. GOTTLLOB AM-ENDE, Doctor Theologus, per vniuersum orbem christianum, qua meliorum est
partium, fama ac meritis longe celeberrimus, in eruditissimis,
quas poeticae Alexandri POPII de Homine Commentationi,
a se ex Anglico idiomate in Latinum translatae, et carmine
heroico feliciter expressae, subiunxit, bene non minus, quam grauiter, pro-
nunciat; *nihil hominem vel decere magis, vel magis iuuare, quam ut se*
ipsum follicite executiat, et quam fieri posse, penitissime nosse discat: id vero
est huiusmodi, vt me, in arguento de *Homine*, quod adhuc consideran-
dum sumi, persequendo, mirum in modum confirmarit. Ut enim, quod
S. R. Vir ingenuus, pro candore suo, profitetur, nihil difficultius sit, nihil ma-
gis arduum, quam ad perfectam sui notitiam peruenire, propterea, quod
iui ipsius cognitio infinitis difficultatibus et impedimentis obnoxia sit, ita
quidem, vt in aliis omnibus scientiarum generibus felicius procedat huma-
num studium, quam in *αὐτογνώσει*: eo alacriori tamen animo id negotii
fusciplendum puto, quo plures excellentes ingenio viri viam nobis muni-
uerunt, et quo plura sunt commoda, quae ex hac doctrinae liberalis parte
in philosophiam, artem salutarem, ac praecipue theologiam, redundant.
Postquam igitur, quae de partibus hominis essentialibus in genere dicenda
erant, breuiter strictimque, pro instituti ratione, exposuimus, consequens nunc
est, vt de vinculo, quod inter has partes intercedit, paucis agamus. Ex-
perientia enim docet, Deum, praepotentem, sapientissimumque, rerum
omnium conditorem, animam intelligentem, et corpus organicum, tam arcto
inter se nexus copulasse, vt, licet operationes quaedam soli animae sint
vindicandae, quaedam mechanicam corporis dispositionem sequantur, vt
animae nullum fere imperium in eas relictum sit, plurimae tamen utriusque
principio, totique adeo homini, sint communes, et a cogitationibus mentis
pariter, ac motibus corporis, profiscantur: quales in primis sunt motus
voluntarii, itemque sensationes. Quae cum ita sint, arctissimum inter has
partes natura quidem sua seunctas, totoque genere diuersas, coniunctionem
dari, statuimus oportet. Nisi enim haec intercederet, nec ab anima
corpus, nec a corpore anima, moueri posset, cum tamen ex experientia con-
stet, ad certos motus corporis certos insequi motus mentis et vice versa.
Hac autem coniunctione concessa, vinculum adesse oportet, cuius ope anima
cum corpore vniatur. Quod vero et quale illud sit, quo utraque pars et
contineatur tam arcte, et in agendo patiendoque conspiret amice, nondum
ad liquidum est perductum. ARISTOTELES, in libris de Anima,
nullam, quod sciām, vinculi mentionem facit, neque Conimbricenses,
in Commentariis suis in hos libros, quicquam ea de re habent.

PLATO



PLATO autem, cum animum naturae simplicis et incorporeae intelligeret esse, cum corpore misceri eum non posse, existimauit, propterea, quod incorporea cum corporibus minime coalescant, et, si essent mixta haec duo, anima maiori corporis contagione inquinaretur, aut plane interiret. Cuius autem contagionis et interitus cum expers sit, eam non corpori commixtam, sed ut gubernatricem praefectam illi esse, censet. Vnde ipse, verum hominem, verumque animal, non corpus esse, vult, sed animam, quae ex mundo *vōntrō*, seu intelligibili, prodeat, et cui statim in coelo corpus a Deo celeste adiungatur, quod immortale sit, nec ab ea postea diuelli via ratione queat. Hoc quidem corpus, quod schola haec *ōχημα*, vehiculum, vel etiam *currum* animae, nominat, purum, splendidum, aethereum, igneum et celeste, omni sece ac concretione liberum, et perpetuo indissolubilique cum anima vinculo coniunctum esse, nec extingui vlo modo posse, opinatur. In hoc insidentem animam in aethereo mundo rebus intelligibilibus incumbere, astrorum circuitus certis sectari periodis, et cum diuinis animis hoc vniuersum gubernare. Huic vehiculo aethereo aliud succedere, quod spirituosum dici possit, quocum iungantur animae, dum in mortalem mundum descendant, et in crasto corpore recipiantur: quod secundum vehiculum nihil aliud sit, nisi sanguis tenuis, vel spiritus per corpora nostra diffusus. Tertium vehiculum esse terrenum hoc et crassum corpus, quod a Platone in Timaeo quasi animae vehiculum, et in Phaedro vehiculum ostreaceum; a Plotino autem animae sepulcrum nuncupatur. De his tribus vehiculis pronunciat Plato, quod anima in ostreaco per breue tempus habitat, in aereo per multa, in aethereo autem, sive igneo, per omnia saecula commoretur. Vid. de his Platonis et Platoniconrum somniis Steph. THEVPOLVS, Patricius Venetus, *Academiarum Contemplationum*, L. IV. c. XI. p. 148. *sqq.* Seb. FOXIVS Morzillius Hispalensis, *de Naturae Philosophia, seu de Platonis et Aristotelis confessione* L. IV. c. III. p. 416. et in primis Io. Laur. MOSHEMIVS ad Radulphi CVDWORTHI *System. intellect. c. V. Sect. III. §. 21. in Schol. S. XVIII. p. 105.* et Excell. Io. Henr. WINKLERVS in *Psychol.* §. 826. p. 542. *fq.*

Hanc sequuntur opinionem, si non per omnia, maximam tamen partem, quod negandum non est, nonnulli ex patribus primae ecclesiae, Platonismo nimium quantum infecti, qui subinde de animae vehiculo loquuntur, GREGORIVS Nyssenus etiam ratione probare nititur, qualis sit ille corporis et animi nexus. Bene tamen ac sobrie de hac arctissima mentis et corporis coniunctione ita differit TERTVLLIANVS, patrum latinorum antiquissimus: *Collocauit autem Deus, et potius inferuit carnē animam, tanta quidem concretione, ut incertum haberi posset, vtrumne caro animam,*

QA II 1593 X 2988104 VD 18
animam, an carnem anima circumferat, utrumne animae caro, an anima appareat carni. Sed eis, animam inuehi, atque dominari credendum est, ut magis Deo proximam, hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo et contineat, et ipsius dominationis compotem praefet.
Libr. de Resurrect. carnis.

Theophrasti PARACELSI ineptias de Archaeo, saeculo iam decimo sexto effectas, revocavit saeculo superiori Io. Bapt. HELMONTIVS, Belga, Bruxellensis, ex nobili familia oriundus, qui eo superbiae processit, ut philosophum per ignem, et vnicum vere medicum a Deo ipso conditum, atque adeo illum, quem Siracides honorandum dixerit, se vocare non dubitaret. Hic, quemadmodum vocibus barbaris et mente cassis, Bur, Leffas, Gas, Blas, Duelech, in scriptis suis vti solebat, vt imperito vulgo illuderet, et singularis doctrinae opinionem sibi conciliaret; ita subinde in ore ferebat Archaeum quendam, praesidem actionum motiunque, quas in corpore humano obseruamus. Licet autem magno conatu nihil egisse videretur, inuentus tamen est Martinus HEERIVS, medicus Laubanensis ac deinceps Goricensis, solertissimus alioquin obseruator, qui Introductionem in Archivum Archai vitale et fermentale Io. Bapt. van HELMONT conscripsit. Hos imitatus Io. DOLAEVS, quo nemo vnuquam operosior fuit nugator, pari ratione eiusmodi barbaris, peregrinis ac sine mente sonis vtebatur superiori saeculo, in *Encyclopaedia medica*, dum quatuor excogitabat reges, quos principibus humani corporis partibus praeficiebat, vt hae sub illorum regimine officii sui partes obire possent. Capiti praeponebat regem *Microcosmetora*, cordi *Cardimelechum*, abdomini *Gasteranacem*, seu *Bitnimelechum*, cum regina hysterica *Rachamalca*. Se autem per haec vocabula nihil aliud intelligere, quam spiritus vitales, animales, genitales prae aliis subtilissimos, ipse in praefatione fatetur.

Adstipulantur huic de spiritibus vitalibus sententiae recentiores non nulli, in primis ex medicis, qui hos spiritus vitales, et fluidum nerueum, tenuissimam quippe subtilissimamque corporis partem, vel sanguine, vel cerebro, vel neruis comprehensam, vinculum, quo mens corpori deuincentur, esse volunt. Hoc tamen discriminis inter eos intercedit, vt, quod Bern. CONNOR, Thom. WILLISIVS, Frid. HOFFMANNVS, Andr. RIDIGERVIS animam nominant, alii, Seb. WIRDIGIVS in primis, spiritum appellant. Scriptis hic *Medicinam spirituum*, in qua L. J. e. XIV. diserte ait: Animam, tanquam spiritum subtilissimum, mortale corpus hominis immediate, sine spiritibus intermediis, gubernare non posse. Hos autem spiritus esse medium, et quasi vinculum inter duo illa extrema, animam et corpus, quibus, tanquam instrumentis proximis, anima in gubernando corpore vtatur. Verum de his et reliquis, quae huc spectant, cum Deo in posterum plura,

AC

Q.K.357, f.

de abtij

AMPLIS
PATRON

B. IO. CHI

CRAS PROPE

CHRISTIAN

IVVENE O

BEN

M. IO.

Lit

Farbkarte #13

B.I.G.

A color calibration chart featuring a grid of colored squares. The columns are labeled from left to right as Blue, Cyan, Green, Yellow, Red, Magenta, White, 3/Color, and Black. The rows are labeled from top to bottom as Black, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, and Blue. Each square contains a different color, and the overall image has a slightly textured or noisy appearance.

